



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Monvmenta Paderbornensia**

**Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>**

**Paderbornae, 1669**

2. Ad Lvppiam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11425**

fidio ; *Bocam* non minus ejusdem hospitium, pax & religio, ab Astron. in Annal. rerum gest. à Carolo M. apud Reuberum. Auctore vitæ Caroli M. edit. à Pithæo. Adelmo. Poëta Anonymo. Regione. & literis antiquis commemorata commendant, & dignam monumento reddunt.

2. AD LVPIAM. Vbi etiamnum arx, vicus & præfectura *Boca* appellata superest: verisimiliter fuit castrum, de quo Astronomus. *Eresburgo castro, quod dirutum erat, restaurato, aliòque castello super Lippiam exstructo, & in utroque non modico presidio relicto, ipse in Galliam reversus.* Quamvis Henricus de Hervordia, quem sequitur Rolevincius, *Vechtelar* appellatum scribat; quod ubinam sit, & unde hauserit, equidem ignoro: *sanctæ* deinde memoria *BADVRADVS* Episcopus Paderbornensis ossa *B. Landolini*, cujus honori dicatum templum *Boca* hodieum exstat, è diœcesi Cameracensi translata *Boca* collocavit; quæ ad annum usque 1101 religiosè asservata. Paucis annis ante, Monasterium ordin. S. Benedicti super eadem sacra ossa Erpo Comes de Padberg, consilio & adjutorio Henrici de Werle Paderbornensis Episcopi, inchoavit. *In nomine domini. Erpo dictus Comes in Patberg ad notitiam omnium fidelium pervenire desideramus, quod nos ad honorem Domini nostri Iesu Christi, & sanctæ ejus Genitricis Virginis Mariæ, & super reverenda ossa beati Landolini confessoris, quæ sanctæ memoriæ Baduradus Paderbornensis Episcopus de diœcesi Cameracensi transtulit, & in loco, qui dicitur BOCA integraliter deportavit, novellam plantationem religionis S. Benedicti construximus super fluvium, qui dicitur Lippia; quod opus structurae meæ consilio & adjutorio Domini Henrici Paderbornensis Episcopi incæptum, Comites de Niche minis & terroribus, ne perficeretur, impedierunt, asserentes se*

tes se veros heredes loci illius esse post mortem Dominae Beatricis conjugis nostrae. Vnde inuito consilio praedicti Episcopi, transmigravimus Abbatem & fratres ejus, qui cum ipso erant, in villam nostram, quae vocatur Fletorp, & ibi incepimus structuram nostram consummare, Anno gratiae Millesimo Centesimo primo, ad honorem Pie Matris, & ut ardentius instarem, benignissimus dominus flagello suo me torpentem excitavit hoc modo: Quodam tempore oppidanis in Horhusen forte injuste in tantum offensus, ut incendio oppidum totaliter destruere, & consumere vellem, etiam ignem immittendo; quidam de ipsis oppidanis ad Ecclesiam Sancti Magni gloriosi Martyris fugientes imaginem crucifixi Domini rapuerunt, & eam ferentes obviam mihi furenti processerunt. At ego rationem praefurore non capiens, ad portitores crucifixi evaginato gladio, ut stultus, miser irrupi, & quod crucifixo pro corona capiti impositum est, percussi & partem in terram dejeci: Nec sine mora ultio divina defuit, nam digiti mei, quibus ferrum ad contumeliam sanctarum reliquiarum strinxeram, & manus in volam contracti praesentiam aeterni judicis ibi adesse & iram persensi. Tunc igitur ejus flagello castigatus, & tamen de eo quod scriptum est, flagellat omnem filium quem recipit, fiduciam sumens, praesumebam a misericordia Dei me diligi, quod merebar affligi, praefata Ecclesiae Beati Magni de meis possessionibus mansum unum, & Monasterio meo Fletorpeni omnia mea & me ipsum, ministrales meos cum beneficijs & possessionibus, servos omnes mihi bene in hoc consentientes, domina mea perpetua Virgini Mariae contradidi. Constituo & praesenti scripto sigillo nostro roborato jubeo, ut post mortem meam aliam personam Ecclesiasticam Abbas & qui cum eo sunt fratres eligant, & ei proprietatem Monasterij mei tradant, & ejus consilio & permissione Advocatum ad tempus unius anni vel duorum, si opus sit, eligant.

*eligant. Finito verò Advocatia sua termino, iterum, si necesse sit, non de progenie priorum, sed alium, ut caveatur ne aliquis in Advocatia hereditario jure succedere possit. Ministeriales mei qui modo sunt, Ministeriales monasterij, in quacunq[ue] parochia moriantur, sepulturam in prædicto meo Monasterio eligant, & habeant, & optimum equum, quem quis habeat, & arma ibidem offerat. Jura vero in accipiendis vel dandis hereditatibus, secundum jura Ministerialium ubi se tradiderint habeant. Actum Anno M. CIV. tertio nonas Julij.*

Anno 1371. Bernardus de Horde Eques arcem *Boc am*, Henrici Episcopi, & successorum ejus *feudum ligium* semper fore professus, exstruxit; filius Bernardus *facellum* ibidem condidit, quod ejus nepos Philippus Westphaliæ & Angariæ Marescallus, & conjuge defuncta Præpositus Monaster. insigni sacra suppellectile, & sacrarum reliquiarum atque indulgentiarum thesauro locupletavit. Arcem quidem, stirpe Bernardi conditoris extincta, sæculo proximè præterito à Theodoro Furstenbergio Paderborn. Episcopo recuperatam, An. 1646. Sueci unà cum *facello* incendere; verùm eandem Theodorus Adolphus Episcopus Paderbornensis instauravit munivitque. Hic igitur locus si Reinero Reineccio, in Poëtam Anonymum notas componenti, in mentem venisset, minimè is dubitasset, utrùm, *Boke*, sit Monasterium à S. Menolfo ædificatum, an *Bukenborg* arx ditionis Schawenburgicæ: hæc enim cis Visurgim in Ostfalis sita, illud verò *Bodeke* semper appellatum fuit.

3. BOCA VETVS CAROLO MEMORABILIS HOSPITE. Astronomus. *Inde reversus cum in pagum qui Buchi vocatur pervenisset. Poëta Anonym.*

*In pagum redijs quem dicunt nomine Bukki.*

L

Non